Emily Loring Clark

De Aricorum patria scrīpsit
Aemilia Loringa
ē
Josepho Clerico nātā.
1889. Degree Ph.D.

Num scīvit quis domum Āricōrum prīmam.

Omnēs litterīs ērudītī, nōn ita prīdem, populōs Āricōs in Asiā suum ortum habuisse crēdēbant, nūper, autem, sunt quī adseverant eōrum patriam in Eurōpā fuisse.

Quī prīmus ita cēnsuit, haec dīcit: [1] "Lituae lingua in tōtō est Indicae linguae simillima... Sī ita rēs sē habet, necesse est situm linguae Indicae prīmum aut Sclavonicōrum et Lituanicōrum sēdibus fīnitimum, aut rē vērā contingentem. Indicī, autem, ūnā cum cognātīs suīs, in Indiā reperiuntur; Lituanicī, Sclavonicī, Latīnī, Graecī, Germānīque in Eurōpā; et, inter utriusque partis fīnēs, spatia lātissima patent.

Attigitne Indica lingua Indiam ex Eurōpā, an Lituanica et Sclavonica et Latīna et Graeca et Germānica, Eurōpam ex Indiā? Sī historiae testimōnium abest, dē coniectūrīs disceptandum est.

Historiam tacēre adfirmō, coniectūrāsque magis huic opīniōnī favēre, ē māximīs generibus minima dēdūcī, potius quam ē minimīs, māxima.

1. R. G. Latham. "Elements of Comparative Philology". London, 1862. p. 610, f.

Sī ita est, linguae situs Indicae in orientem, aut in meridiem orientemque, ad Lituanicōrum fīnēs spectāt, ortusque est Eurōpaeus."

Deinde vēnit Lazarus Geiger, quī sīc argūmentum incipit: "[1]Concēdās mihi ut brevī dīcam, mē hōc tempore crēdere, prīmam Aricōrum domum in Germāniā petendam esse." Addit quoque, "[2]Nec eīs contemnenda sunt, abitūs aut ortūs locum petentibus, arborum nōmina, quae itidem vel in Germānīs Indicīsque, vel in Germānīs Graecīsque videntur, linguīs tam diū sēiunctīs. Sunt, enim, arborēs trēs, quārum nōmina, necesse est, ūnō tempore ficta fuisse; quō manifestum est, eās in eā regiōne cōnstitisse quā nōminātae sint. Hae sunt betulus, fāgus, quercus.

[3]Cum circā A. U. C. DCCL fāgus in terrīs Batavōrum et Britannicōrum nōn inventa sit, oportet, ut opīnor, in huius arboris situm certum prōgredī, id est, quod ad Germāniam pertinet, usque ad silvam Thuringicam. Sī Germānia Indogermānicī generis nōn esset patria, [4]saltem haec erat illae Germāniae ā Tacitō dēscrīptae simillima."

Rēs ūna hanc tōtam coniectūram faciēbat dubiam,

1. Lazarus Geiger. "Zur Entwickelungsgeschichte der Menschheit." Stuttgart, 1878. p. 118.
2. Ibid. p. 128.
3. Ibid. p. 139.
4. Ibid. p. 146, f.

quae ab aliō scrīptōre eīs verbīs notāta est. "[1]Geigerus, scīlicet, in hāc conclūsiōne nōn animadvertit fāgī nōmen nōn in Asiā, apud Indogermānōs, invenīrī."

Alter, igitur, auctor adsūmpsit: "[2]In antīquissimīs temporibus, fīnēs inter Asiam et Eurōpam, ad montēs Rhīpaeōs, incolēbat populus numerōsus, flāvī generis, quī, sermōne ūnō, linguīs tamen multīs, ūsus, gentium māiōrēs Indogermānārum complexus est. Posteā, dīmidiae ēius nātiōnis partēs dīvīsae sunt; altera ad montis Indicī dēclīvitātēs profecta est, altera, silvae immānī vīcīna, māgnopere auxit... Rē vērā, Eurōpaeī, Volgā trānsitō, iam prīdem mediam Eurōpam penitus intrāverant... Cum, autem, nātiōnēs Eurōpaeae fāgum cōgnōvissent, necesse est eās ante sēiūnctiōnem aliam, eōdem sermōne ūsās, in mediā Eurōpā citrā lineam quae fāgī indicet fīnēs, ūnā vīxisse."

Hic, quod contrā dīcātur, licet audīre. "[3]A. Fickī opīniō nōbīs difficultātem, prope insuperābilem, habēre vidētur. Adfirmat campōs Muscoviae orientālis immānēs ūnitātis locum fuisse, id est, ea spatia māgna quae Volgae rīpās appropīnquant. Ut Ariī illūc pervenīrent,

1. O. Schrader. "Sprachvergleichung und Urgeschichte". Jena, 1883. p. 128.
2. A. Fick. "Vergleichendes Wörterbuch der Indogermanischen Sprachen".[2] 1871. pc. 1045, 1047. f.
3. J. Van den Gheyn. "Le Berceau des Aryas." Bruxelles, 1881. p. 76.

sē Oxum flūmen adversum adscendere, maris Hyrcānī lītora sequī, montēs Rhīpaeōs superāre, necesse est.

Hōc iter dēscrībere, haud dubiē facile est; sed aliquantō difficilius idem percurrere, crēdāmus."

"Sēparātiō stabilis inter stirpēs Indogermānōs nōn certa est, nec sermōnis nec cultūs historiae grātiā."[1]

Quī, hōc tempore, fāgī argūmentō ūsī sunt, hāc sententiā cōnfīdunt: "Fāgōrum[2] fīnēs in Norvegiae regiōnibus, ad merīdiem versus, initium capiunt, Suecicam Gothoburgī ōram, ad occāsum versus, attingunt, ex ōrā, ad orientem sōlem versus, usque ad Kalmaram patent, continentemque ferē rectā lineā persecant, ē sinū Venedicō, Montis Rēgiī viā, per Poloniam, ad Chersonēsum Tauricam et Caucasum."

Coniectūram alteram, dē Ariōrum sēdibus, dedit O. Peschel. "Illās[3] regiōnēs incolēbant arctī, lupī, lutrae, sed leōnēs tigrēsque dērant. Eīs rēbus notātīs, accūrātē Indogermānōrum domum dēfinīre possumus. Ad orientem patēbat, apud Nestum, hōc tempore Karasu, in Macedoniā, quae, Xerxe regnante, vagātiōnis erat terminus leōnibus Eurōpaeīs." Hōc ostendit Hērodotus, eō modō: οὔτε[4] γὰρ τὸ πρὸς τὴν ἠῶ τοῦ Νέστου οὐδαμόθι

1. O. Schrader. "Sprachvergleichung und Urgeschichte": Jena, 1883. p. 453.
2. A. Grisebach. "Die Vegetation der Erde": Leipzig, 1872. I. p. 88.
3. Oscar Peschel. "The Races of Man and their Geographical Distribution": Trans.; New York, 1876. p. 506, f.
4. Herodotus, VII, 126.

πάσης τῆς ἔμπροσθε Εὐρώπης ἴδοι τις ἂν λέοντα, οὔτε πρὸς ἑσπέρης τοῦ Ἀχελῴου ἐν τῇ ἐπιλοίπῳ ἠπείρῳ, ἀλλ' ἐν τῇ μεταξὺ τουτέων τῶν ποταμῶν γίνονται.

"[1]Geōgraphiae scrīptōrēs omnēs, vērī simile est, cōnsentiunt Indogermānōs Caucasī dēclīvitātēs occupāvisse... Sī Ariī prīstinī bēluās ita ferōcēs, in patriā suā, vīdissent aut vēnātī essent, eōrum nōmina certē retinuissent, ipsā significātiōne mūtātā".

Iterum Schrader — "[2]Pōnātur nunc dīgressiōnis punctum quōvīs locō, nōn cōgitandum est bēluārum herbārumque nōmina retenta esse intacta. Quō modō rērum nōmina stāre potuērunt, cum ipsae rēs, haud sciō an per saecula, ab oculīs hominum āfuissent? Minimā, ergō, dēlīberātiōne opus est ut quis intellegat, rēs quae ostendere videantur leōnēs, tigrēs, camēlōs Indogermānīs dēfuisse, neque prō domō Eurōpaeā neque contrā dīcere.

Est vērē maximē perīculōsum ē verbōrum inopiā cōgnātōrum, rērum ipsōrum īnscientiam adfirmāre; prīncipium quod, quidem, plūrēs cōgnōvērunt, saepe, autem, oblītī sunt".

Iam dīxerat Cuno, "[3]Profectō, id genus Indogermānicum

1. O. Peschel. "The Races of man and their Geographical Distribution". p. 507.
2. O. Schrader. "Sprachvergleichung und Urgeschichte". Jena, 1883. ps. 170, 169.
3. J. G. Cuno. Forschungen im Gebiete der alten Völkerkunde — Die Skythen". Berlin, 1871. p. 31.

nōn fuit parvulum, sed populus ingēns, in sē millia continēns hominum, quī per terrās immānēs dispersī erant. Inveniendae sunt regiōnēs māgnae, omninō habitābilēs, vītae quam māximē aptae, quae cōnsentāneae sunt cum rēbus ex historiā cōgnitīs dē populōrum itineribus.

Est, autem, in mundō nostrō, spatium nūllum quod ita ad habitātiōnem idōneum est, ut grandis Eurōpae campus, quī etiam Germāniae Galliaeque partēs inclūdit. Plānitiēs māgna citrā montēs Rhīpaeōs, ultrā, autem, Caucasum et Pontum Euxīnum, regiōne tōtā occupātā, sē extendit.

Ipsa linguārum scientia docēre vidētur, populōs Āricōs eō locō vīxisse quō māior eōrum pars in praesentiā reperiātur, eōsque ē Sarmatiā in Persiam, potius quam ē Persiā in Sarmatiam, vēnisse."[1]

Tum Poeschius, "Sīc Āricōrum patria, Cunōne auctōre, in Eurōpaeīs campōrum patentium aequoribus ad septentriōnēs est. Nōnne hanc patriam propius dēfīnīre possumus? Haec regiō, ita ā Cunōne fīnibus interclūsa, multō extrā modum est, ergō incerta. Nōs posse, mihi vidētur. Tribus ratiōnibus dūcī oportet. Prīmō,[2]

1. J. G. Cuno. "Die Skythen". Berlin, 1871. p. 49 f.
2. Theodor Poesche. "Die Arier". Jena, 1878. p. 65 ff.

apertum est hominēs, lūcem calōremque petentēs, ā polīs in aequātōrem vagārī. Quā dē causā, domicilium in septentriōnālī regiōnis dēscriptae parte quaerendum est. Tum populī, Aricorum pārēs, lātē sē utrimque extenderint... Aricīs ad orientem et accidentem ingressīs, agmina eōrum prīma in fretō Beringiō conventa sunt. Sī, igitur, dīmidiās partēs eādem celeritāte mōvisse dīcāmus, sequitur ut prīmae eōrum sēdēs ā fretō Beringiō centum et octōgintā longitūdinis gradūs abessent, quod nōs iterum ad mare Suevicum, Pontumque Euxīnum dūcit. Deinde, rēs duae dissimilitūdinem inter prīmās linguārum speciēs et novissimās explicant, in locō et tempore sēparātiō. Ut lingua suō fontī prōxima in locō et tempore est, ita, eī simillima; quō distantior, eō dissimilior. Quae lingua, autem, ex omnibus ad hanc hōram cōgnitīs, Indogermānōrum sermōnī simillima est? Omnēs, verbōrum scientiae perītī, ūnā vōce respondent, linguam Lituanicam. Sī, autem, Himinis vallēs nōn Aricōrum cūnābula sint, pars patriae certē sunt.

Sīc lingua dōnum gravissimum adfert. Commercii

rēs, etiam, aliud dant. Borysthenes, negōtiī via veterrima fuit, inter regiōnēs ad septentriōnēs et ad meridiem versus. Quō modō Varagrōrum millia, secundō flūmine, ōlim nāviculīs dēvehēbantur, eō modō genera flāva, vērī simile est, Pontum Euxinum adsecūta sunt. Borysthenes, suprēmīs Beresinae et Pripetī adfluentiīs, in Niemenis agrīs, ita finitimus est, ut angustum tamquam solī dorsum utriusque flūminis regiōnēs sēiungat. Ex hōc tumultō, paluster locus immānis patet, Rokitno palūs, cuius aqua, per Borysthenem Pripetumque, in Pontum Euxinum dēfluit. Sī, igitur, Niemen, secundum certa indicia, nātālī locō vicinus fuit, Borysthenes, autem, exercituum et negōtiī via vetustissima flāvārum gentium existimārī potest, sequitur ut hominēs flāvī, caeruleī, capitibus longīs, inter Rhodānum et Borysthenem, sēdēs prīmās, orīginis loca, habēbant. Ibi patria est, rē vērā.

Nunc venit testis doctissimus atque dīcit, in Rokitno palūde vastā, inter Borysthenem Nieminemque, hominēs, bēluās, arborēs, maximē Alba-

nismum ostendere. Est, itaque, ibīdem vel in solō, vel aquā, vel āere, aliquid colōrī in crīnibus, oculīs, pellibus, infestum. Quod monstrum in omnibus aliīs terrīs singillātim vidētur, hōc in locō generātim invenitur; sīc flāvī generis ortus explicārī potest."

Hic, Poeschius Herodotō auctōre ūsus est, qui scrīpsit: „βουδῖνοι δέ, ἔθνος ἐὸν μέγα καὶ πολλόν, γλαυκόν τε πᾶν ἰσχυρῶς ἐστι καὶ πυρρόν... οἱ μὲν γὰρ βουδῖνοι ἐόντες αὐτόχθονες νομάδες τέ εἰσι καὶ φθειροτραγέουσι μοῦνοι τῶν ταύτῃ... ἡ δὲ χώρη σφέων πᾶσά ἐστι δασέα ἴδῃσι παντοίῃσι ἐν δὲ τῇ ἴδῃ τῇ πλείστῃ ἔστι λίμνη μεγάλη τε καὶ πολλὴ καὶ ἔλος καὶ κάλαμος περὶ αὐτήν· et posteā dīcit Budīnōs in Rokitno palūde vīxisse oportēre, cum in Tanais vīcīnitāte, quā plūrimī eōs petierint, palūdēs māgnae dēsint. Eam ob rem Budīnī, quī hominēs flāvī in patriae fīnibus remānsērunt, suī generis "Nesthöcker" eī videntur.

[2]Adfirmat item Lingarōs modo, ex omnibus virīs Ariīs locātīs, iam sērō ab Indiā ad Eurōpam vēnisse, sed Ariōs, ex Eurōpaeā stirpe ortōs, Eurōpam

1. Herodotus, IV, 108, 109.
2. Theodor Poesche. "Die Arier", Jena, 1878. p. 73.

continenter incoluisse. Aliās, id genus hominum flāvum Āricum appellātum esse, docet; aliās, sī[2] dominī fuissent fuscī virī brevēs, et flāvī hominēs māgnī, subiectī, hōs in humilibus, illōs in generōsīs ordinibus reperīrī posse, quod contrā nōn evenīre.

Dē eīs rēbus, praesertim dē argūmentō ē linguā Lituanicā dēductō, haec intersunt. [3]"Sine contradictiōnis metū, iterō, sermōnis Indicī antīquitātem, nūllā conclūsiōne historicā hinc illātā, eandem manēre alterutrā grammaticā ūtimur".

[4]"Āricus, in disciplīnae sermōne, nīl ad genus pertinet; linguam dīcit, et praeter linguam nihil; quō fit, sī dē genere Āricō loquimur, nōbīs habendum est, id nihil aliud quam x + linguam Āricam dīcere".

Cum scrīptor, verbō "Āricō" ūsus est, ut genus dēscrībat, [5]"furtum est merum. Nōbīs ad linguārum dēscrīptiōnem nōminum novitās facta est; aliam ad capitis, crīnis, sanguinis dēscrīptiōnem faciant dē generibus loquentēs".

[6]"Māiōrum patriam, alius ad orientem sōlem, alius ad septentriōnēs, nēmō, quantum intellegō, ad merīdiem neque ad sōlis occāsum fuisse putābat".

1. Theodor Poesche. "Die Arier". p. 43. 2. Ibid. p. 45 f.
3. F. Max Müller. "Biographies of Words and the Home of the Aryans". London, 1888. p. 99.
4. Ibid. p. 90.
5. Ibid. p. 120 f.
6. Ibid. p. 127.

Quibusdam, sententia nova aliquantulō dubia vīsa est, quī scriptōrēs mediam viam habēbant, ut, exemplī grātiā, Fredericus Muller.

"Plūrimī litterīs ērudītī Indogermanōrum patriam petīvērunt in campīs quī Sarmatiam apud Lituaniam complexī sunt.

Sī, igitur, secundum hanc coniectūram quae vērisimilitūdinem magnam habet, sēdem Ariōrum prīmam in Eurōpā fuisse accipimus, in merīdiem et orientem sōlem spectantem, nōn eārum regiōnum aborīginēs, sed ex Armeniā peregrīnī, Indogermānī putandī sunt. Ad hanc conclūsiōnem dūcī oportet, cōnsēnsūs grātiā inter Ariās gentēs et Semiticās, quae ex occāsū ad Mesopotamiae vīcīnitātem migrāre nōn potuerint."[1]

Dum eae rēs gerēbantur, opīniō vetus de Asiāticā domō renovāta est, ab auctōre Gallicō, quī librīs Persārum sacrīs frētus, Ariam patriam in Asiā fuisse iūdicāvit. Terram petīt quā fuit mare, ad occidentem spectans, et montēs in orientem tendentēs. Ibi populos fuscōs vīxisse crēdēbat, vērōs Ariōs, quōrum servōs fuisse gentēs flāvās. Ratiōnēs

1. F. Müller. "Allgemeine Ethnographie". Wien, 1879[2]. p. 87.

multās profert, quālēs sint, [1] "Duōs hiemis diēs brevissimōs aequat aestātis diēs longissimus; nox hiemis māxima duās aestātis noctēs minimās aequat. Hīs rēs habēmus, memoriae Persicis trāditās, quae nisi ipsā observātiōne, cōgnōscī nōn potuissent, id quod indicat Ariōrum patriam circā lātitūdinis gradum quadrāgēnsimum nōnum quaerendam esse.

[2] Sitā, in literīs Indicīs, sē comam nigram habēre dīcit. Apud Ariōs, virī summō locō nātī, tōtius Indiae imperiō potītī, capillīs nigrīs erant, aut fuscīs... Sed ūnā cum eō genere Ariō, aliud māgnī mōmentī fuit, cultū atque hūmānitāte per orbem terrārum ductīs, cūius hominēs longīs capitibus flāvīsque capillīs fuērunt. Hī populī, in quōrum numerō māxima pars Germānōrum est, post hominum memoriam, Caesare Bibulōque consulibus, Galliam Belgicam incoluerant. Etiamsī aliquī opīniōnibus adversīs ūsī sunt, nihilōminus id genus flāvum nōn Arium esse vidētur, sed 'seulement une race Aryanisée.' Dīiūdicandum est quō tempore prīmī ēius flāvī generis virī cultum

1. C. A. Piētrement. "Les Aryas et leur première patrie". Paris, 1879. p. 17, f.
2. Ibid. p. 46 ff.

Aricum sūmpserint; quod sānē ūsū vēnisse videtūr ante migratiōnēs Aricōrum prīmās".

Ita certūs est, ut verbātim dīcat,[1] "Aricōrum patria in eā parte Tatāriae Russicae fuit, quae 'district d'Alatau' appellāta est".

Contrā, "[2]Gentēs Aricae nūllum maris nōmen commūne habent, nam etsī nūra Indice mare dīceret, hōc verbum nōn idem posset umquam esse cum marī, Gothicō marei, Hibernicō muir, Sclavonicō moje. Nōn adfirmō, nihilō minus, mare Aricīs coniunctīs incōgnitum fuisse, sed nōs linguārum testimōniō dēmōnstrāre nōn posse, eōs iam coniunctōs mare attigisse".

"[3]Ad hanc hōram rēs ūna est certa, in multīs varietātibus physicīs, apud dīversās Indogermānae stirpis partēs, in lūcem prōlātīs, nēminem genus ūnum prīmigenium, omnibus aliīs exclūsīs, putāre posse. [4]Sī iūstum est gentem, quae ōlim, in regiōne quādam, linguā commūnī ūsa est, linguārum Eurōpaeārum mātrem appellāre, nēquāquam certum est virōs singulōs, quī Aricē locūtī sunt, eiusdem orīginis fuisse, saltem post

1. C. A. Pietrement. "Les Aryas et leur première patrie." p. 20, f.
2. F. Max Müller. "Biographies of Words and the Home of the Aryans". London, 1888. p. 109.
3. J. Van den Gheyn. "Le Berceau des Aryas". Bruxelles, 1881. p. 71.
4. Ibid. p. 72.

conformātionis tempus".

Hinc circā annōs octo, vir Indicīs rēbus doctissimus, scrīpsit: "Persicī ac Indicī, quondam, ūnā cum Anglōrum nātiōnumque Eurōpaeārum māiōribus, terram Asiāticam incoluērunt, illa fortasse loca praecelsa apud montēs Indicōs, plērumque Pamir nōmināta. Ea regiō, generum Aricōrum omnium, nōn sōlum Asiāticorum, sed etiam Eurōpaeōrum, patria fuit".[1]

Cum eā sententiā, bene sit alius opīniōnem cōnferre. "Sed nōbīs nōn crēdendum est, in hīs campīs ita vacuīs, nātiōnem explicuisse posse. Hoc dictum, omnium viātōrum expositiōnibus recentium firmius factum est.[2]

Dē Eurōpaeā coniectūrā īdem sīc conclūdit:— "Rerum novārum blandīmenta, quae sententiam dē Aricōrum ortū Eurōpaeō vēram esse quōsdam adsūmere dūcant, certē plūrima sunt; sed rērum scientiae magis consentāneum nōbīs vidētur, nōn, sine argūmentīs gravissimīs, opīniōnem dē Bactriā repudiāre, quae multōrum auctōritātem sibi possidet, et ratiōnibus corrōborātur, quae sī nōn[3]

1. Professor Monier Williams, in "Nineteenth Century". Jan. 1881. p. 157.
2. J. Van den Gheyn. "Le Berceau des Aryas". p. 28.
3. Ibid. p. 74.

persuādēre possint, saltem māximam probābilitātem habeant."

O. Schrader eadem facta proximē cōnspiciēbat, et, librō scrīptō, ratiōnēs dedit quā rē aliqua cēnsēret.[1]

"Prīmō, quī Persās et Indicōs patriae vīcīniōrēs mānsisse dīcunt, quod eōrum linguae conditiōnēs prīstinās melius cōnservent quam eae Eurōpaeōrum, plānē errant.

Tum, cuiquam rogantī utrum Indogermānōrum sēdēs in Asiā an in Eurōpā petendae sint, data ē sermōne collecta, dēcīdere nōn possunt; ostendunt modo, Indogermānōrum patriam in septentriōnēs tetendī.

Deinde, ratiōnem crēdere habēmus, populōs Indogermānōs, eō tempore cum sociātī essent, per terrās māgnās extendisse.

Posteā, feritās prīsca, quae dē sermōne historiāque apud Indogermānōs fuisse probētur, propter reī pecuāriae, agriculturae, metallōrum, armōrum, victūs, vestītūs inopiam, simillima est eī veterum Helvētiōrum, quī lapideō apparātū ūsī sunt. Sī, autem, id vērum sit, prīmum

1. O. Schrader. "Sprachvergleichung und Urgeschichte". Jena, 1883. p. 452 ff.

Indogermānōrum domicilium in Europā fuisse dēmōnstrātum sit.

Dēnique, Aricārum gentium migrātiōnēs in historicīs temporibus ad merīdiem aut orientem sōlem tendunt."

Eīs addit, "Nōlō, tamen, ad ēius librī fīnem cēlāre, illam coniectūram quae generis Indogermānī ortum potius ad occāsum versus quam orientem petat, mihi māximē factīs cōnsentāneam vidēre, contrā meam opiniōnem prīmam".

Eōdem annō, liber vidēbātur quī craniōrum formīs ūsus, domum in Scandināviā fuisse dīligenter probāre temptāvit. Hunc librum, auctor quī suprā nōminātus est, contemptū tractat, opiniōnem suam, autem, hīs verbīs dat.[2] "Orientem, certē argūmenta prīmā faciē indicant... Duo tamquam linguārum flūmina habēmus, ūnum ad Indiam inter merīdiem et orientem, alterum ad Eurōpam inter septentriōnēs et occāsum tendēns. Ille locus in quō haec flūmina duo necessāriē concurrant, Asiam indicat. Tum, prīmī cultūs fontēs in Asiā erant. Deinde, in novissimīs temporibus, gentēs

1. Karl Penka. "Origines Ariacae". Wien und Teschen, 1883. cf. p. 47 ff., 64-70.
2. F. Max Müller. "Biographies of Words and the Home of the Aryans". p. 116, f.

plūrimās ē mediā Asiā vēnisse, Eurōpamque obruisse vidēmus, quālēs erant Hunnī, in quartō, Mongolique in tertiō decimō saeculō. Posteā, sī iter ex Eurōpā in Asiam fieret, maximē ē Scandinaviā, vīs verbōrum in Aricō sermōne commūnī, vītae maritimae apta, certē invenīrētur, quod ita nōn est.

Comparātīs quae sunt Crētum, Phrygum, Paphlagoniōrum, Celtārum fābulīs, Iohannes Rhysius nūper, novam solūtiōnem prōposuit, dīcēns [1] locum intrā circulum septentriōnālem indicārī in quā regiōne rēs barbarōrum fictae Immortālitātis fīnēs locent.

[2] Adhūc licuit Indogermānōrum domum vel in palūde māgnā, vel in campō immānī, vel in montium sōlitūdine posuisse ... Cum, autem, ēlectiō difficilis est, ratiōnēs iterum rēspēctandae sunt. Campōrum, flūminum, montium, urbium, terrārum nōmina praemia optima ostendunt. Illa duo flūminum nōmina quae in Indogermānōrum sēdibus saepissimē reperiuntur, Cyrus et Arax ea sunt. Quam regiōnem, secundum veterum Persicōrum fidem, ea duo flūmina inclūdunt, terra sacra est.

Māximē vērisimile est, in quō modō omnēs

1. John Rhys. "Lectures on the Origin and Growth of Religion as illustrated by Celtic Heathendom". Hibbert Lectures, 1886. Published 1888. p. 636.
2. A. Brunnhofer. "Ueber den Ursitz der Indogermanen". Basel, 1884. p. 9 ff.

Cyrus et Araxes in Armeniā erant fīnitimī, eō modō nōmina in locīs Indogermānicīs ambo consociāta erunt, quod, rē vērā, fit... Armenia ūna est regiō quae terra sacra crēditur esse, — id quod ostendit nūllam veteriōrem quam Armeniam putārī. In nūllō locō, igitur, est eōrum nōminum, constanter iunctōrum, orīgō petenda, nisi in Armeniā.

Eīs ratiōnibus subsidiō est quod Indicīs, Persicīs, Graecīs, Germānīs, Sclavonicīs trāditur."

Scriptor noster, exemplī causā, dat quod, ā sacrīs Indicōrum librīs dēductum, sequitur, —

अध्वर्यवो यो दृभीकं जघान
यो गा उदाजदप हि वलं वः ।
तस्मा एतमन्तरिक्षे न वातमिन्द्रं
सोमैरोर्णुत जूर्न वस्त्रैः ॥३॥

dē quō dīcit, Dribhakam nōn tempestātis spīritum esse, sed, ut A. Ludvicius adfirmat, genus historicum, Derbiker nōminātum, cuius patria marī Hyrcānō vīcīna fuerit. Indicī, ergō, in antīquissimīs temporibus, apud hoc mare incolēbant.

Rēbus secundīs orbis terrārum historiam habēmus, quae Indogermānārum gentium migrātiōnes

1. Rigveda, II, 14, 3.
2. A. Brunnhofer. "Ueber den Ursitz der Indogermanen." Basel, 1884. p. 20. f.

accurate commemorat." Haec docet: Σκύθαι τὸ μὲν ἐξ ἀρχῆς ὀλίγην ἐνέμοντο χώραν, ὕστερον δὲ κατ' ὀλίγον αὐξηθέντες, διὰ τὰς ἀλκὰς καὶ τὴν ἀνδρείαν πολλὴν μὲν κατεκτήσαντο χώραν, τὸ δὲ ἔθνος εἰς μεγάλην ἡγεμονίαν καὶ δόξαν προήγαγον. τὸ μὲν οὖν πρῶτον παρὰ τὸν Ἀράξην ποταμὸν ὀλίγοι κατῴκουν παντελῶς, καὶ διὰ τὴν ἀδοξίαν καταφρονούμενοι. ἕνα δὲ τῶν ἀρχαίων ἔχοντες βασιλέα φιλοπόλεμον καὶ διαφέροντα στρατηγίᾳ, προσεκτήσαντο χώραν, τῆς μὲν ὀρεινῆς ἕως πρὸς τὸν Καύκασον, τῆς δὲ πεδινῆς τὰ παρὰ τὸν Ὠκεανὸν καὶ τὴν Μαιῶτιν λίμνην, καὶ τὴν ἄλλην χώραν ἕως Ταναΐδος ποταμοῦ... μετὰ δέ τινας χρόνους τοὺς ἀπογόνους τούτων τῶν βασιλέων, ἀνδρείᾳ καὶ στρατηγίᾳ διενέγκαντας, πολλὴν μὲν πέραν τοῦ Ταναΐδος ποταμοῦ χώραν καταστρέψασθαι μέχρι τῆς Θρᾴκης· ἐπὶ δὲ θάτερα μέρη στρατεύσαντας, διατεῖναι τῇ δυνάμει μέχρι τοῦ κατ' Αἴγυπτον Νείλου. πολλὰ δὲ καὶ μεγάλα τῶν ἀνὰ μέσον τούτων ἐθνῶν καταδουλωσαμένους, προβιβάσαι τὴν ἡγεμονίαν τῶν Σκυθῶν τῇ μὲν ἐπὶ τὸν

1. Diodorus Siculus. Bk. II. Ch. 43.

πρὸς ἀνατολὰς Ὠκεανὸν, τῇ δ' ἐπὶ τὴν Κασπίαν θάλασσαν, καὶ Μαιῶτιν λίμνην. ηὐξήθη γὰρ ἐπὶ πολὺ τοῦτο τὸ ἔθνος, καὶ βασιλεῖς ἔσχεν ἀξιολόγους. ἀφ' ὧν τοὺς μὲν, Σάκας προσαγορευθῆναι, τοὺς δὲ, Μασσαγέτας, τινὰς δὲ, Ἀριμασποὺς, καὶ τούτοις ὁμοίως ἄλλους πλείονας, - quae Armeniam indicant.

Sclavici, etiam, domūs primae reminiscuntur. [1]"Dein Tanaim amnem, geminō ōre influentem, incolunt Sarmatae, Medōrum ut ferunt subolēs, et ipsī in multa genera divīsī."

[2]"Est in mundō terra ūna quae nōn sōlum cum mediā Eurōpā similitūdinem habet, sed etiam ab ipsīs Indogermānīs suam patriam esse putātur. Haec terra Armenia est!... Ibi, ex arboribus fāgus et aliae videntur, ē bēluīs, equus, canis, lupus, arctus, dum leō, tantum, et tigris dēsunt."

A. H. Saitius patriam in Eurōpā fuisse cēnset, sed nūper dixit, [3]"Incertus sum dē fāgō, quae fortasse priscīs Ariīs nōn cōgnita fuit... Cum verbum in linguā Sclavonicā aliēnum est, in cōgitātiōnem cadit, id apud Germānicōs mūtātum esse... Quā

1. C. Plinius Secundus. "Naturalis Historia". Bk. VI, Ch. 7.
2. H. Brunnhofer. "Ueber den Ursitz der Indogermanen". Basel, 1884. p. 23 f.
3. A. H. Sayce, in "Academy", May 19, 1888. p. 344.

rē, buchha dē Latīnā fāgō petītum esse suspicor."

Coniectūra novissima est in Angliā prōposita. "[1]Crēdi potest populum Finnicum tōtam Eurōpam ā Rhēnō ad Vistulam ad septentriōnēs versus incoluisse, cūius partēs propria, quae cum nōmine Aricō, consociāta sunt, in linguā ac genere amplificāvērunt."

[2]Factīs de linguā cultūque ā scrīptōribus gravissimē reprehensīs, addit "[3]Quae contrā dīcuntur nēquāquam ad rem pertinent, quantum intellegō. Num aliud genus nisi Finnicum est ē quō Aricī sē explicāvisse possunt? Nonne sunt Aricī, quī ad septentriōnēs incolant, Finnicīs quī ad orientem habitant ita in linguā ac genere similēs, ut illī ab hīs forsitan ortī sint? Dōnec coniectūra vērī similior reperiātur, meam stare posse adfirmō."

[4]C. Morris et aliī aut opīniōnēs iam prōlātās adoptant, aut eīs parvulum addunt, flēbē hīc cōnfirā.

"Num scīvit quis domum Aricōrum prīmam?" Respondēmus, rēbus suprā datīs, nēminem adhūc Indogermānōrum patriam repperisse, sed omnēs eam in septentriōnēs fuisse indicāre.

Finis.

1. Abstract of I. Taylor's theory of the "Finnic Origin of the Aryans" in "Academy", Dec. 3, 1887. p. 377.
2. cf. A. L. Mayhew, and F. H. Woods, in "Academy", Apr. 21, 1888. p. 276, f; also Terrien de Lacouperie, in "Academy", May 5, 1888. p. 310, f.
3. I. Taylor, in "Academy", April 21, 1888. p. 277.
4. Charles Morris. "The Aryan Race". Chicago, 1888.


Penka.
Sayce.
Geiger.
Latham.
Fick.
Poesche.
Max Müller.
Prétrement.
Van den Gheyn.
Monier Williams.
Brunnhofer.